

Bot. H. 115, 15.

(X2020885)

Y b
903

DISSERTATIUNCULA,
DE
ORTHODOXIS ATQVE PRIMA-
RIIS, QVI HACTENUS ECCLESIAE
GERANÆ PRÆFUERUNT CUM
LAUDE, ANTISTITIBUS,

QVA
AD PARENTALE SACRUM,
in honorem

*Viri, dum viveret, Plurimum Reverendi, Am-
plissimi atq; Excellentissimi*

DN. JOHANNIS CASPARI
ZOPFFII,

Pastoris quondam Ecclesiae nostratis, e-
jusdemq; & vicinarum Superattendentis gravissi-
mi, Consistorii Adfessoris primarii, & Gymnasii

*Inspectoris vigilantissimi,
instituendum,*

PLURIMUM VENERABILEIS


DNN. INSPECTORES,

NEC NON QVOSCUNQVE GERA FOVET
NOBILISSIMOS, REVERENDOS, CLARISSIMOS,
PRUDENTISSIMOS, ERUDITISSIMOS
VIROS ALIOS,

Submissee, officiosè ac perhumaniter invitae

M. JOHANNES FRIDERICUS ROEBER/
Illustris Ruthenei RECTOR.

GERÆ,
STANNO MÜLLERIANO,





Am barbaros atq; ab omni humanitate quondam remotos ac sequestratos fuisse Albanos. Armeniae marique Caspio conterminum populum, ut Mortuorum habere rationem ac mentionem injicere, nefas omnino & iniquum censerent, autor nec futilis, nec proletarius Strabo est. Neq; verò insolens antiquissimis Gentilium fuit, ut Plinius scribit, *ad mentionem defunctorum testari expresse, non sollicitari eorum memoriam.* Quam superstitionem non parum juvisse, vero perquam simile est, quod lethum *ἀπὸ τῆς λήθης* h. e. oblivione dictum putatur nonnullis, ut innuere- tur, ab eorum, qui vixissent, lethoq;ve, ut Poëta ait, dati essent, mentione abstinendum omnino esse. Verum nec ipsis hoc licuit, quod cupiebant, & ipsius Epicuri, hominis sanè non sapientissimi, imaginem in tabulis, quod Pomponius apud Ciceronem fatetur, in poculis & annulis habebant. Quare tantum abest, ut humaniores populi mortuorum exhorruerint atq; à se spreverint recordationem, ut laudibus etiam, qui virtute ac rebus præclare gestis excelluerant, evedtos comendaverint posteritati. Id quod non solum de priscioribus Græcis & Romanis, sed & Christianis vetustioribus locupletissimi Autores commemorant. Ita quippe existimabant, omne præclari facti decus crebrâ memoriâ in semetipso revirescere ac veluti recentari, excitari quoq; posteros ad honestè æmulandos, quos ad normam honestatis composuisse vitam vel legerent, vel audirent. Atq; idcirco nemo, opinor, vitio nobis vertet, si, quos Ecclesia nostra Germana Orthodoxos habuit Antistites, ac Superintendentes, quod Augustini verbum est, seu Superintendentes, eos brevi narratiunculâ, cum ita ferat occasio, recenseamus. Non sine singulari DEI providentiâ atq; auxiliô, cispulsis errorum Pontificiorum tenebris, & caligine superstitionum abactâ, veritatis æternæ lux ac splendor,

— — exortus ut æthereus Sol,

Europam nostram & meliores in eâ animos illustraverat: cum radii ejusdem, undiq;vaq; efficacissimè sparsi, se in ILLUSTRISSIMORUM quoque RUTHENORUM Dynastias penetrarent. Sed quamvis hæ provincie, aliarum secutæ exemplum, veritæ non sint, agnitâ piè tantâ bonitate

nita
tanc
Ecc
in la
bul
stan
pho
Dili
SPA
Chr
Cat
circa
obin
qvib
GUM
com
miss
exce
prop
dem
inau
teret
suspi
tyran
sus v
cios
in Sp
oppo
corn
catu
târu
vitiu
rent
fuit
cem
rum
Decl
appu
HEI



nitate divinâ, jugum servile, quod incubuerat cervicibus, audacter tandem excutere ac rejectare; tamen quô apud Nos annô cœperint Ecclesiæ præfici Antistites primarii, quos dixi, non perindè liquet, sed in latebris fitum est. Equidem Reformationis saluberrimæ incunabula cœperunt apud nos tertio post exhibitam Confessionem Augustanam anno: sed inde non consequitur illicò tum simul cœpisse Ephoriam Ecclesiasticam; quamquam id probabiliter colligi queat. Diligenter hæc exequutus est Rev. & CL. Vir M. JOHANN. CASPAR. ZOPFIUS, Inspector Salburgensis, Adfinis noster optimus in Chronico suo Gerano MS. cui in hac historiâ non pauca debemus. Cæterum GEORGIUM MACHÆROPOEUM, Germanicè Messerschmied/ circa Annum gratiæ M. D. L. munia Superattendentis sacra Geræ obiisse, documenta fide non indigna perhibent & loquuntur. Ex quibus & hoc certum atq; exploratum est, octennio post WOLFGANGUM GRABBIUM eandem in se provinciam apud Nos suscepisse, & commendatione quidem SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ huc missum. Quem deniq; Anno ἐνσαρκώσεως ἡς λόγος M. D. LXIV. excepit JACOBUS LANGGUTHUS, paulo post cum aliis de causis, tum propter Flacianismum, cui cum Diaconô suô deditus fuerat, cum eodem Socio dimissus. Crepera tunc erat ac tristis rerum facies, nihilq; inausum relinqvebat Satanas, quô fidei nostræ sinceritatem aut everteret omninò & aboleret penitus, aut minueret saltem, dubiamq; & suspectam redderet. Animadvertens enim callidissimus hostis, per tyrannidem Pontificiam pessum dari illam non posse, rem aliâ aggressus viâ, variis discordiarum casibus ipsos Augustanæ Confessionis socios agitavit, ex inferis protractô Strigelianismô, vires arbitrii liberi in Spiritualibus perperam augente. Cui cum se pugnâ inauspicata opposuisset Flacius, multi εἰς ἡβανῆιον amore Præceptoris prolapsi, corruptionem Naturæ humanæ nimium quantum exaggerantes, peccatum Originis ipsam hominis substantiam assertum ire non dubitârunt. Undè fiebat, ut Strigelio alii, alii Illyrico addicti, mutuis se convitiis proscinderent, & quoad ejus facere poterant, per vim expellerent, & exulatum mitterent. Idem expertus fatum tunc temporis fuit eximius Doctor Theologus, SIMON MUSÆUS, exiliô quippè decemplici, variâq; verum vicissitudine per temporum istorum pessimorum injurias, famigerabilis. Qui cum Victorini subscribere per omnia Declarationi recusasset, in exilium ejectus huc, tanquam ad portum appulit, & Anno M. D. LXV. die XXXI. Augusti ab Illustrissimo HEINRICO Ruthenô de Plaviâ JUNIORE, legitimâ vocatione Epho-

rus

rus Ecclesiæ constitutus fuit. Equidem ultra triennium hîc non substitit; (Coburgum enim ad eandem Spartam evocatus fuit Anno M. D. LXVIII.) tantillô tamen temporis spatio in tantum meruisse de salute nostræ Ecclesiæ celebratur, in quantum, qui mereri optimè potest. Etenim non solum in Diœcesi hâc Pastores, Inspectioni suæ commissos, certis quibusdam articulis de Orthodoxyâ piè instruxit, sed & ut Anno M. D. LXVII. Confessio Ruthenica, scriptum Religionis puritate, constantiâ intrepidâ & solidâ errorum confutatione perquam inclutum, dias in luminis auras primùm prodiret, si non omnem, non tamen nullam operam impendit: Ut, quoad *κειμήλιον* istud Ruthenicum in pretiô erit, tanti viri pietatem ac doctrinam, laudesq; inde oriundas nulla unquã oblitteratura ætas sit. Successit Museo M. MARTINUS FABER, itidem Exul; quod genus fati Crypto-Calvinianorum furor viro optimo conciliaverat. Primum enim Cahlæ Thuringorum, deindè & Waldenburghi Diaconatu functus; hinc exagitatus hostium iniquitate, in Saxoniam inferiorem abiit; tandem à gloriosæ recordationis Ruthenô, quem laudavimus, inde revocatus, Ecclesiæ nostræ legitimè præfectus fuit. Et hîc, quamdiu præfuit, (præfuit autem ad annum usq; M. D. LXXX. quippe quo, & die quidem X. Augusti, quinquaginta quatuor annos natus, phthisi correptus, obiit) omnes boni Ecclesiæ Doctoris numeros sedulò implevit. Stylo etiam Veritatem assertavit non unâ vice cælestem. Etenim Cyriaco Spangenbergio, inter Flacianos audacissimo, se opposuit, Johannis cujusdam Güntheri calumnias retudit, & Thomæ Hofmanni, qui autoritatem & orthodoxiam Confessionis Geranæ non parùm elevare ausus fuerat, opprobriis satis fecit. Anno reparatæ salutis M. D. LXXX. provinciam Ephorias Geranæ in se derivari passus est JESAIAS KRÜGERUS, Colonia ad Spream oriundus. Hic primùm Vinariæ pubem scholasticam bonis literis ac pietate Conrector imbuuit, postea Diaconus Jenæ factus, indè verò, cum in Thuringiâ persecutio Orthodoxorum immane quantum sæviret, unâ cum centum & quinquaginta aliis veræ doctrinæ assertoribus in exilium missus est. Verùm uti miser non est dicendus sine lare, sine officiô exul, qui pietate suâ se involvens, cum DEO in exilium abit: ita ejusdem Divinâ providentiâ factum est, ut piissimus hic Vir, quamquam exul, unô eodemq; die tres luculentas acciperet admunia Ecclesiastica vocationes. Ex quibus, quæ prima venerat,
cum

cum bono DEO acceptavit, Alefeldiæ Brunsvigorum Pastor & Superintendens Generalis constitutus. Hic à SERENISSIMO DUCE BRUNSWIGENSI ac LUNEBURGENSEI JULIO cum ad alia magni momenti negotia, tum ad id præcipue utiliter adhibitus fuit, cum in Academia Helmstadiensi, è primis excitanda fundamentis, non sine immortalis nominis gloria distineretur. Tandem Anno supra dicto à Viduâ Ruthenâ, ILLUSTRISSIMA DOROTHEA COMITE SOLMENSEI, Alefeldiâ, ubi per quinque quasi annos laudabiliter suis defunctus erat partibus, Geram nostram, ut eadem dexteritate ac fide pergeret, accersitus venit. Hic verò quantâ fide, quantâ industriâ, quantum omnium emolumento suas administravit partes, rem propè ineptam fecero, si parem exponere, cum meas ingenii vires, inopemque dicendi copiam exsuperet. Tantum hoc dicam, per KRÜGERUM ejusque Generum, FRIDERICUM GLASERUM, Ecclesiasten aulicum Rutheno-Geranum, (qui deinde Anno incarnationis salutiferæ M. DC. IX. Socero successor datus est, cujus fidelissimus antea parastata fuerat) stetit hunc tempore Confessionis nostræ autoritatem. Cum enim malevoli quidam, nescio quo exagitati spiritu, animo non æquo nostram intuerentur fortunam, nihilque non convitiis in Confessionem eructarent, clamque & palam mox Flacianismi, mox aliorum insimularent errorum, PRÆCELSI RUTHENI è re suarum Ecclesiarum existimabant, dictam sæpius Confessionem celeberrimorum Theologorum censura denuò exhibere, probatamque iterum in lucem edere. Quò in negotio GLASERUS, ut erat laborum patientissimus, omnem movebat lapidem, omnesque intendebat curas ac cogitationes, ut institutum tam laudabile præfixum feriret scopum. Itaque diversis itineribus Wittebergam, Jenam, Torgam, ad Theologos istius ævi consummatissimos, jussu Ruthenorum susceptis, quid de libro Ecclesiarum nostrarum Symbolico judicarent, inquisivit & indagavit. Non potest non felicem habere exitum, quod deliberatum prudenter acpiè susceptum est, quicquid etiam calumniarum spargat, quicquid morarum neccat nequissimus alastor. Itaque etsi plerique, quos adibat & consulebat Noster, improborum non nihil occupati atque abrepti opinionibus, non adeò bene de Geranâ sentirent Confessione, melius tamen à GLASERO edocti, ea tulerunt judicia, quibus ne votis quidem conceptis meliora exoptari potuissent. Atque idcirco Anno trigesimo secundo post primam editionem, seculo

culo nimirum superiore ad metam constituto, Jenæ denuò, non sine ILLUSTRISSIMORUM RUTHENORUM, omniumq; piorum lætitiâ, iterum illa procusa fuit. Cùm igitur non minor ei debeat gratia, qui infantem, utero primum exclusum, molliter suscepit, quàm qui periculis undiq; septum, aut fatali correptum morbo prudenter conservavit; ex facili cordatiorum quivis colligere potest, haud paullo minus Confessionem laudatissimã KRÜGERO & GLASERO debere, quàm primis ejus Auctoribus, quia ab his potissimum habet, ut sit, ab illis verò, ut sibi adhuc, Momò licet ringente, intemerata constet. Cætera, quæ in Virò utroqve optimò laudem merentur non exiguam, silentio potius involvo, quàm ut jejunâ oratione frigidiusculè exponam. De GLASERO prætereà non indignum commemoratione est, quòd primum Ludi apud Alsfeldenses literarii Moderator, deindè, ex commendatione Facultatis Theologicæ Helmstadiensis, Concionator in Arce Ducali Pfanckenstein & Werthen fuerit; quâ occasione Vesaliæ non infrequenter verba pro concione fecit, sacramqve Synaxin vel chiliadi piorum primâ vice, non citra vitæ periculum tamen, distribuit. Postidea ab ILLUSTRISSIMA COMITE RUTHENA, quàm ante diximus, inde evocatus, & ut à literis ac moribus FILIO GENEROSISSIMO POSTHUMO esset, constitutus fuit. Quod officii genus, etsi aræ jam admotus, non respuit, sed lubens suscepit, & cum felici ejus industriâ POSTHUMI in studiis profectus luculenta caperent incrementa, cum Eodem, & qui Illi in studiorũ jam antè venerat societatem, COMITE DAVIDE MANSFELDIO, ad Academiam Jenensem, ut uberiores doctrinæ modum Sui caperent, adivit. Tandem deniqve Superintendens Cranichfeldensis, hinc Concionator Aulicus Geranus constitutus, & cum optimi Soceri vires debilitasset ingravescens senium, optio, ac successor deniq; defuncto ei datus fuit. Idem quoque dici non potest, quàm nulli pepererit operæ, ut illustris Ruthenei, quod impetu planè heroicò moliebatur ILLUSTRISSIMUS HEINRICUS POSTHUMUS, nec infelicitè & solide jacerentur fundamenta. Hujus enim Inspector deindè factus est, perinde ut Ecclesiarum Ruthenicarum, quæ nutritu LAUDATISSIMI HEROIS tunc vigeabant, Superintendens Generalis & Consistorii Director vigilantissimus fuit. Decessit mundo vitæq; mimum, ut Augustus dicebat, clausit ipsis idibus Máj A. O. R. M. DC. XV. Subseqvente Anno lampada sibi traditam accepit M. HEINRICUS AMLONGUS Geranus,

ranus, postquam antea hic Geræ ut Diaconus, hinc Cranichfeldæ ut Superintendens; post ad Aulam Geranæ ut Concionator Aulicus, porro & Thannæ ut Pastor vicarius mysteria salutis fideliter ut plurimum in Ecclesiâ, aliquamdiu & in Gymnasiô exposuerat. Sed hunc Nobis Præsulem fata tantum ostenderunt: Nam post triennium & officiô pariter & vitâ functus est, tanto magis tunc deplorandus, quanto citius egregias Viri dotes præter omnium opinionem mors immatura eripuerat. Nam quadragenariô paulo major, & Anno quidem Christi M. DC. XIX. VI. Kalend: Maij digressus mundo hominem exiit, vitamq; hanc caducam cum æternâ cælestique commutavit. Anno M. DC. XX. munus Superintendentis apud Nos adiit M. CHRISTOPHORUS RICHTERUS, Bischofwerdensis. Hic antea per biennium propè cum semisse Scholæ provincialis Portensis Pastor, deinceps non integrô annô Numburgi Diaconus, hinc Eckartisbergæ non totô bienniô Superintendens cum fuisset, dictô jam ante annô, die decimô tertiô Kalendarum Maij Superintendens Generalis Ruthenicus, legitimè institutus fuit. De quô insigni, nec non per viginti quinque ipsos annos meritissimo de Nobis Viro tacere religiose præstat, quàm plura dicere, quia, quicquid dictum fuerit, tanti Præsulis laude inferius erit. Fuit sanè spiritu tam heroicô, zelo tam divino, facundiâ tam svavi, fide tam integrâ, judiciô tam acri, industria tam indefessâ, ut plures huic impares rarò parem alium deprehendas. Obiit Demosthenes hic Ruthenicus sexto Iduum Decembris Annô M. DC. XLIV. cum vivendo nondum quinquaginta quinque annos exegisset. Sed nunc ad ultimum denique, quem ante semestre istud ereptum Nobis non sine planctu recordamur, tristis se convertit calamus. Fuit is, heu! fuit, M. JOHANNES CASPARUS ZOPFFIUS LOBENSTEINENSIS, Vir in tantum laudandus, in quantum pietatis sinceræ amor, puritatis in religione ardor, fiducia in DEUM robur, eloquentiæ sacræ vis, eruditionis Theologiæ ingens modus intelligi potest. Fuit, fuit illud ingenium, quod & inveniendi acuminè & differendi perspicuitate, & disponendi solertiâ vix æquale habuit. Exaruit proh dolor! illud os, quod, quando vitia configenda hominum, non tam verba, quàm fulmina ac grandines spargebat, cumq; pœnitentibus veniæ spes ostendenda, nectare stillabat. Conticuit lingua quæ, quoties dicendum erat, sive de suggestu, sive de cathedrâ, non, ut Homericæ Nestoris, melle, sed ipsâ ambrosia

246. 903. ON
brofia diffuebat. Vixit desideratiffimus Vir feptuaginta ac tres pro-
pemodum annos, vixit fatur vitæ, fatur laudis ac gloriæ, non tamen
Nobis, non Ecclefiæ, non Suis fatis vixit. Merita ejus, quibus ultra
annos quadraginta quatuor Ecclefiam fibi ac fcholas, illufre cum-
maximè Ruthenèum devinxit, nulla pofteritas tam iniqua aut ingra-
ta erit, quæ oblivioni nefariè tradat. De cæterò etfi nullum tanti Vi-
ri memoriæ fufficiet monumentum, ea tamen filentio involvenda ne-
quaquam erit. Itaque fuarum efle partium duxit Optimus Ado-
lefceus, JOHANNES CHRISTIANUS MASERUS, Geranus, in honorem
BEATISSIMI ANTISTITIS facrum inftituere parentale. Qui cum fi-
mul Mufis noftris vale fit dicturus, non tam ex more, quam amore,
quò ipfum profequimur, honorificum testimonium perhibemus. Est
is VIRI NOBIL. & AMPLISS. DN. SAMUELIS MASERI, Dicafterii Ru-
theno-Plaviensis Secretarii Senioris ac meritiffimi non degener Filius;
Discipulus verò nofter, fi quis alius, pius, probus, modestus, morige-
rus atq; industrius. Qui cum ad ftudia Academica non ineptus fit,
non poffumus non & in bonâ pace eundem dimittere, & , ut feliciter
vivat, & planè ex votò omnium, ftudiorum pertexat telam, fincerè
ac ferio precari. Igitur ut Vos, PLURIMUM VENERANDI DNN. IN-
SPECTORES, Vositem, OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI inter
Geranos VIRI ad Panegyrim hanc frequentes & faventes cras, Deo
dante, poft facra pomeridiana, adefle velit; id verò eft, quod LON-
GE MERITISSIMI de Nobis omnibus VIRI memoria per fe Vobis in-
jungit, & nos magnoperè rogamus. Quod reftat, veneramur boni-
tatem indulgentiffimi Patris, ut ipfe farciat clementer damnum, quod
fecimus, ut, quem Ecclefiæ dispexit ac dedit, novum Antiftitem,
quam diutiffimè fospitem atque ab omni immunem malò confervet!

Λόγον περιεμπληκόν de more habebit BALTHASAR HEINRICUS
à Nifschwitz/ EQ VAR. PP. d. XXXI. Octobris A. O.
R. M. DC. LXXXII.



VOM

n. 6.



807 h. 115, 11

DIS

ORTHO
RIIS, Q
GER.

AD

Viri, dum r

DN. JO

Pastoris q
jusdemq; &
mi, Confi

PLU

DNN
NEC NON
NOBILISSI
PRUI

Subm

M. JOHAN



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

885)

Y b
903

RIMA-
SIÆ
M

di, Am-

PARI



cratis, e
gravissi-
nafii

BIBLIOTHECA
SONICAVIANA

ES,
FOVET
ISSIMOS,
S

EBER/

